



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Tripartita Demonstratio, Worin Augenscheinlich wird  
vorgestellt/ Daß Die Stadt Hildesheim von Jhrem Anfang  
biß hiehin den Herren Bischöffen Als jhren  
Landts-Fürsten/ Gleich anderen Municipal-Städten ...**

**Hildesheim, A[nn]o 1691.**

Num. 75. Diploma Sancti Henrici Secundi Imperatoris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38409**

dis retributionem nos promereri confidimus: Quapropter, noverint omnes Christi fideles, quod Saxones, quos à progenitoribus nostris ob suæ pertinaciæ perfidiam semper indomabiles, ipsique DEO & Nobis tam diu Rebelles, quousque illius, non nostrâ virtute, ipsos & bellis vicimus, & ad Baptismi gratiam DEO annuente perduximus, pristinae libertati donatos & omni nobis debito censu solutos, pro amore illius, qui nobis victoriam contulit, ipsi Tributarios, & Subjugales devotè addiximus, videlicet, ut qui nostræ Potestatis jugum hæctenus ferre detrectarunt, victi jam (DEO gratias) & armis & fide Domino, ac Salvatori nostro JESU Christo, ac Sacerdotibus ejus, omnium suorum jumentorum & fructuum totiusque culturæ decimas, ac nutrituræ divites ac pauperes legaliter constricti persolvant. Proinde omnem terram eorum antiquo Romanorum more in Provincias redigentes & inter Episcopos certo limite disternantes.

Glossa Kranzj ibid.

[Regionis bello victæ Episcopi Domini constituuntur.]

Septentrionalem illius partem, quæ & piscium ubertate ditissima, & pecoribus alendis habetur, aptissima, pio Christo & Apostolorum suorum Principi Petro pro gratiarum actione devotè obtulimus, sibi que in Wigmodiâ in loco Bremen vocato, super flumen Weseram, Ecclesiam & Episcopalem constituimus Cathedram &c.

Quamobrem quia, omnipotens Deus in gente Phrisonum sicut Saxonum ostium suum aperuit, partem prænominatæ Regionis Phrisiæ, quæ contigua, huic Regioni esse dignoscitur, eidem Bremensi Ecclesie, suoque Provisori Willehado Episcopo, ejusque Successoribus perpetuò delegavimus retinendam, & quia casus precedentes nos cautos faciunt in futurum, ne quis (quod non optamus) aliquam sibi in eadem Diœcesi usurpet potestatem, certo eam limite facimus terminari, eique hos terminos Mare, Oceanum, Albim Fluvium, &c.

Et ut hujus donationis ac circumscriptionis Autoritas nostris futurisque temporibus Domino protegente valeat inconcussa manere, manu propria subscripsimus, & annuli nostri impressione signari jussimus.

Signum Domini Caroli Regis invictissimi: Hildebaldu Archi-Episcopus Colonienfis & sacri Palatii Capellanus recognovi, data II. Idus Julii Anno Dominicæ Incarnationis 788. Indictione 12. Anno autem Regni Domini Caroli 21. Actum in Palatio Nemetensi feliciter, Amen.

Idem lib. 2. Saxonie cap. 29. In verbis

Crediderim Saxones eâ ætate jam subditos religioni paruisse PONTIFICIBUS, nec DUCIS ALICUJUS TULISSE IMPERIUM &c.

Num. 75.

Diploma Sancti Henrici Secundi Imperatoris.

**I**N Nomine Sanctæ & individua Trinitatis: Henricus Divinâ favente Clementiâ Rex. Si Sacerdotum & Servorum DEI petitiones pro suis necessitatibus, quæ nobis innotuerunt ad effectum perducimus, non solum Regiâ consuetudine exercemus, verum etiam ad æternæ Beatitude præmia capescenda, talia Nobis facta profutura liquidò confidi-

H. VI  
78

confidimus, quapropter omnium fidelium nostrorum præsentium videlicet & futurorum cognoscat, industria, qualiter Vir Venerabilis *Bernwardus Episcopus ex Oppido qui vocatur Hildessen*, qui est in Pago Aistfala in honorem Sanctæ Mariæ super fluvium Indistria veniens ad nos deprecatus est Cellitudinem nostram, ut præfatam Ecclesiam Cum Fratribus ibidem Domino famulantibus perpetuæ mercedis incremento, sub nostrâ defensione & immunitatis tuitione reciperemus, cujus petitionem, quia justam fore cognovimus, assensum præbere non negavimus, & sicut petivit per hoc nostræ Authoritatis præceptum confirmare studuimus: Præcipientes ergo jubemus, ut nullus iudex publicus neque quislibet ex iudiciaria potestate, seu aliquis ex fidelibus Sanctæ DEI Ecclesiæ ac Nostris in Ecclesiis loca vel agros seu quascunq; possessiones, quas moderno tempore justè & rationabiliter possidere videtur, in quibus Pagis vel territoriis, vel quidquid deinceps propter Divinum etiam amorem ibidem collatum fuerit, ad causas audiendas vel speda exigenda seu mansiones faciendas aut fidejussores tollendos aut homines ipsius Ecclesiæ tam ingenuos injustè quam servos distringendos redditiones aut illicitas occasiones requirendas ullo unquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ superius memorata sunt, exactare præsumat, sed liceat illi suisque ibi subjectis Domino servientibus Clericis sub nostrâ defensione & immunitatis tuitione quieto tramite ibidem residere, & pro nobis & conjugue proleque nostrâ seu pro stabilitate totius Imperii nostri à Domino nobis concessi, & ejus clementissimâ moderatione perpetuò conservandâ jugiter, Domini misericordiam exorare, & possessionibus jam ad eam collatis vel deinceps tradendis, nec non decimis, quæ à primis temporibus noscuntur, reddendis, afferendis, inquirendis & exigendis, *Litorum quoque Colonorum & ingenuorum PLENISSIMAM habere Potestatem*, nec sub obtentu novarum Ecclesiarum aut Monasteriorum aliquid de decimis totius Parochiæ de jure Principalis Ecclesiæ ac Potestate Episcopi auferantur, proinde quoties in expeditione seu ad Palatium vel in aliud quodlibet Nostrum servitium ire debeat, *Quorumlibet hominum suorum ad hoc iter potestatem habeat*, nec eo tempore quisquam aliquos EJUS homines distringere & ad aliam profectionem cogere præsumat, etiam prædictæ Ecclesiæ concedimus ut habeant ejusdem Sedis Clerici, Canonici atque Ecclesiastici seu intra se sive aliunde, dignè ad hoc & convenienter eligendi Episcopum liberam ac propriam facultatem, ex quo consensu Regis & ut hæc nostrâ Authoritas firmior habeatur, & per futura tempora, diligentius observetur manu propriâ nostrâ super eam confirmavimus, Sigilli- que nostri impressione insigniri præcepimus.

Datum sexta Nonas Martii indictione 13. Anno Domini 1013. Anno verò Domini Henrici regnantis undecimo. Actum Werlæ feliciter.

Signum D. Henrici Rom.  
Regis invictissimi.



Guntherus Cancellarius Vice Erimbaldi  
Archi - Capellani cognovit.